



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XXIV. Venerabili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

ne Ecclesie, quos in transitu attingunt, procuracionibus talibus, cum legationum tallium impediendarum damno, grauentur, & patiantur.

CAPITULUM XXIV.

Venerabili.

PARAPHRASIS.

Nolebat Abbas monasterij in civitate Cenomanensi sita, de cultura Episcopo suo Cenomanensi visitanti solvere procuracionem, eò quòd ab hac excusari se putaret, quia monasterium ipsùm in Civitate Cenomanensi situm erat, & nunquam hætenus procuracionem solveret: neutram tamen rationem prodesse Abbati contra Episcopum procuracionem exigentem putabat Pontifex, & hinc ad eam præstandam illum condemnat, nisi aliud rationabile argumentum excusans habeat.

SUMMARIUM.

1. Monasterium, quamvis situm in Civitate Episcopali, non excusatur tamen à solvendis procuracionibus, si visitatur.
2. Neque excusatur ab illis solvendis, eò quòd nunquam ex tali loco persoluti fuerint.
3. Intelligenda tamen hæc de procuracionibus, qua ratione visitationis debentur.
4. Et nisi alio rationabili argumento à solutione hac liberum se ostendat.

Notandum primò. Non excusari à procuracione solvenda monasterium, si visitetur, eò quòd sit in Civitate Episcopali, quamvis enim Ecclesia Civitatis Episcopalis, non veniat semper nomine Ecclesiarum diocesis *argum. cap. Rodolphus 35. de rescript.* in hac tamen materia ad procuraciones obligatur omnis Ecclesia visitationi Episcopali subiecta, quo modo subiecta est etiam Civitatis Episcopalis Ecclesia.

Notandum secundò. Nec ex altero capite, nunquam persolutæ procuracionis liberari à solutione hujus Abbatem, cum contra procuraciones has ratione visitationis debitas præscribi tam parùm possit ab illis, qui visitationi subiecti sunt, quàm parùm præscribi potest contra visitationem, ut dictum.

Dicitur tamen primò. Procuracionem, quæ ratione visitationis debetur, præscribi non posse: si enim procuratio competat ratione institutionis aut consuetudinis, juvat contra eam præscriptio, ut advertit *Glossa, hic v. hætenus non solverunt*: & probatur etiam *arg. cap. Eleutherius 30. cans. 18. q. 2.* & quòd contra præscriptionem nihil probet ratio à non præscribenda visitatione petita.

Dicitur secundò. Nisi aliud rationabile argumentum habeat Abbas, quo se à procuracione hac præstanda tueri possit, privilegium scilicet *can. cum instantia 17. b. t.* vel si allegaret præscriptionem nomine alterius, & probaret; sicut enim aliud jus visitandi contra Episcopum præscribere potest, *cap. cum ex officio 16. de prescript.* ita potest etiam præscribere jus debitum ob visitationem, procuracionis scilicet: vel denique si allegaret tantam paupertatem, ut ipsum procurare non posset, prout advertit *Glossa hic v. aliud rationabile.* Quo in casu suis sumptibus visitare deberet, cui jus visitandi competit *arg. cap. cavendum caus. 10. q. 3.*

CAPITVLVM XXV.

Cùm nuper.

PARAPHRASIS.

Nolebant Archiepiscopo Beneventano tam propria, quàm Domini Papæ autoritate Provinciam visitanti, procuracionem præstare Clerici, qui visitabantur: conqueustus est Pontifex de hac negata procuracione Archiepiscopus, & mandatum à Pontifice Clericis his fuit, ut procuracionem ratione visitationis debitam

Sic; præ-